



Fr. c B 53

Georg · Samueld.

Philosoph. · Jel  
B. 47.

*ax*

Q. D. B. V.  
**PROGRAMMA,**

*Quo*  
*Omnes hujus civitatis Lunæburgensis*  
**VIROS HONORATISSIMOS,**  
 DOMINOS  
**PATRONOS, FAUTORES**  
*atque AMICOS,*  
*Ad*

**ACTUM ORA-  
 TORIO. VALEDICTORIUM,**

*In quo*  
 Tres juvenes atque adolescentes pii, industrii & modesti,  
*qvorum nomina hic sunt adscripta,*  
*nempe*  
 LEONHARD FRIDERICH REHSE, Lunæb.  
 JOACHIM HARTWICH MÜLLER, Lüdersburg - Lauenb.  
 FRIDERICH ANTON KRAUT, Lunæb.

*De*  
**LUDIS SCENICIS.**

*dicent,*  
*Ea, qua decet observantia atq; humanitate, invitat*  
 Paulus Kraut/ Scholæ ad Div. Joh. Rector:  
 Anno MDCC XIX.

---

LUNÆBURGI, Typis STERNIANIS.



Vemadmodum pene omnibus in rebus dijudicandis varium illud & multiforme, ut Mureto audit, monstrum, qvo non Proteus aut Vertumnus plures induere species potest, opinio dominari solet: ita etiam inferendo de usu Comœdiarum Tragoediarum, aliorumque ludorum, qvi in theatro repræsentari consueveré, judicio haud parum vim suam exerere videtur. Nam si qværas, licitusne ille in republica christiana sit an minus? tantum abest, ut eruditæ, cum Theologi, tum ali summa prudentia prædicti viri omnes inter se consentiant, ut potius in alia omnia abire animadveritas; aliis illum admittentibus & probantibus; aliis vero repudiantibus & improbantibus; aliis denique multis sub conditionibus in alterutram harum sententiarum inclinantibus. Qui apud Christianos illos tolerandos esse existimant, variis illi argumentis suam corroborare sententiam annuntuntur. Dicunt enim hujusmodi ludos nihil, qvod pietati, nihil, qvod honestati bonisque moribus

bus aduersetur, continere, qvin potius vitam humanam  
illiusqve actiones clarissime illis depingi atqve ob oculos  
poni. Nam ut, cæteris omissis, actores aliquantisper  
in theatro sese conspiciendos præbeant partesqve suas  
agant: mox vero, illo relicto, discedant spectantiumqve  
oculis sese subducant: ita etiam accidere in vita huma-  
na, cujus varios eosqve diversos quasi actus spectare li-  
ceat. Infantiam enim excipere pueritiam: pueritiam  
adolescentiam: adolescentiam juventutem: juventu-  
tem virilem ætatem: virilem denique ætatem senectu-  
tem. Utuntur hic auctoritate Romani Imperatoris  
Augusti, qvi morti proximus: satisne commode vitæ  
minimum transegerit, ex illis, qvi lecto, in quo decum-  
bebat, adstiterunt, qvæsiverit. Utuntur Senecæ Ep. 77.  
„sic scribentis: audite juvenes, audite queruli senes,  
„qvomodo fabula: sic vita: non qvamdiu, sed qvam  
„bene acta sit refert. Huc tandem accommodant, ne-  
„scio cuius, in obitum Ferdinandi Regis Hispaniæ ele-  
„gantissime scriptos elegos:

„ Mœsta theatalis rapimur spectacula scenæ  
„ Omnes, ah miseri! fabula qvanta sumus?  
„ Actor homo, cœlum spectator, grande theatrum  
„ Est orbis, vita est actio, scena dies.  
„ Jam data Regali postrema est clausula vitæ,  
„ Hoc est postremum: Plaudite, abire licet!  
Deinde licitum eorum usum ex magna utilitate, atqve  
jucunditate, qvam cum ad illos, qvi in illis exhiben-  
dis occupati tenentur: tum ad eos, qvi spectare illos so-

lent, promanare credunt, probare conantur. Oblectare enim ajunt animum coram intuentium, ut auditentes egregium aliquod factum ad illud imitatione exprimendum incitentur: oblectare oculos, quandoquidem Actorum pulcherrimos gestus aptissimumque totius corporis habitum atque dispositionem animadvertant: oblectare aures, siquidem & sententiæ & verba tam sint apta, tam pulchra, ut universa eloquentia, omnisque Svada quasi in theatro confluxisse videatur. Maxime vero, cum finis studiorum sit, ut non solum de rebus recte sentire ac judicare: sed etiam, quæ sentimus, ea commode eloqui ac pronuntiare possimus: hic summa cum utilitate addisci, quomodo omnia apte & commode fieri ab adolescentibus debeant, ut aliquando ad publicas functiones adhibiti, cum vel concio in templis sit habenda, vel in foro causæ agendæ, vel in consiliis sententiæ sint dicendæ, aut alibi in cœtu hominum freqventiore verba sint facienda, non deformi trepidatione perturbari, subinde hærere ac titubare, vel indistincte ac præcipitanter verba effutire necesse habeant; sed omnia decenter peragi ab illis queant. Probant denique cum consuetudine variarum gentium, apud quas hujuscemodi ludi recepti sint & usitati: tum etiam testimonio Theologorum, inter quos D. Dannhauer verba Part. X, Lact. Catech. latino quidem idiomate „sic se habentia allegant: Si comœdiæ ludique Sce. „nici secundum Christianam prudentiam sine scandalo, commodis temporibus, & quæ decet modestia, exhibentur

„exhibentur in sacris literis plane non damnantur ; sed  
„sunt primo consecrati a Spiritu Sancto exemplis, qva-  
„lis est ille lusus mulierum atque chorearum in hono-  
„rem Davidis institutus 1. Sam. XVIII. v. 7. lusus pue-  
„rorum & puellarum in plateis Zach. VIII. v. 5. Si-  
„militidinibus Prov. VIII. v. 30. ubi cœlestis sapien-  
„tia coram Deo lusisse dicitur. Matth. XI. v. 17. ubi  
„Christus pueris sese comparat in foro sedentibus & ac-  
„clamantibus sociis suis : tibia sonuimus vobis, & non  
„saltastis, lamentavimus vobis, & non planxistis. Se-  
„cundo usitati in populo Dei. Lutherus enim putavit  
„librum Judithæ non complecti veram historiam, sed  
„tantum figmentum politicum esse, in quo status Ec-  
„clesiae sit repræsentatus & juventuti propositus: librum  
„Judithæ esse tragœdiam, Tobiæ vero comoëdiam.  
„Tertio ornamenta pacis. Temporibus belli, cum  
„tormenta disploduntur, Iudis Scenicis non est locus.  
„Hoc tempore cum Deus nobiscum quasi tragœdiam  
„ludere incepit, qvæ nondum est finita, feriari nos à lu-  
„dendo oportet. Quarto salutares in republica non  
„tantum ad animos excitandos, & ad historias vivis  
„coloribus exprimendas, sed etiam ad affectus commo-  
„vendos, prout cujusvis status aut conditio reqvirere  
„videtur. Haec tenus ille. Hisce & similibus argumen-  
„tis aliis robur sententiæ suæ accommodant ludorum Sce-  
„nicorum patroni & defensores. Qui autem illos impu-  
„gnant & ex republica Christiana exterminandos & eli-  
„minandos statuunt nec numero paucioribus, nec infi-

minoribus argumentis ac rationibus suam se sententiam statuminare posse sibi videntur. Cum enim in Scriptura Sacra Christiani vitam cum sanctitate atque gravitate coniunctam agere jubeantur : nihil hisce virtutibus magis repugnare, nihil magis adversari contendunt. Esse argumentum comœdiarum & tragœdiarum maximam partem profanum, ubi, licet interdum quædam, quæ non plane nulli usui esse posse videantur, admisceri solet : vitiari tamen & conspurcari, quæ semper ibi occurrat, levitatem. Et quamvis quoque argumentum ex sacris literis desumptum interdum pertractetur : illius tamen gravitatem atque sanctitatem futilitate agyrtarum deturpari. Posse historiarum sacrarum cognoscendarum cupidum longe melius & tutius legendis sacris Bibliis illas sibi familiares reddere, aut etiam audiendis, quæ ex suggestu in templis habeantur, concessionibus, earum sibi cognitionem comparare, quamquidem ejusmodi ludis aspiciendis & contemplandis. Esse divini Apostoli admonitionem, ut nulla *αιρεσίς* aut *μωγολογία* inter illos, qui se Christianos dici velint, exaudiantur ; ab hoc vero tam salubri præcepto nuspia magis, quam in hisce ludis discedi. Audiri enim hic & cerni, si usquam alibi, non nisi scurrilitatem sermonum, qui Christianis auribus sint indigni, homines in stultos transformatos, larvatos & personatos, vestitus virili foeminas & foemineo mares induitos, turpes & obscenas saltationes, & longe alia plura, quæ à Christianis debeat esse remotissima. Perdi hic tempus, cuius tamen jactura nulla major esse queat : perdi

perdi sumtus, qvi multo melius aliis in rebus collocari possint : negligi rationes officii & saepe prætermitti, quibus tamen religiose sit vacandum, & qvæ alia dannata plura sunt, qvæ inde derivant. Quamvis vero hæc satis ponderis ac momenti habere debeant, ut qvemlibet ab hujusmodi ludis, arceant : esse tamen iis longe adhuc majus qviddam multoqve gravius, nempe periculum, qvod morum inde disciplinæ & pietati impendeat. Corrumpi enim & seduci juventutem, in cuius tamen honesta educatione salus reipublicæ præcipue sit sita ac collocata. Castitatem omnibus bonis & fortunæ & naturæ esse præstantiorem, imò nihil in toto terrarum orbe esse tam nobile & excellens, cujus premium possit cum ea comparari. Nam semel illius jactura facta, nullam esse pecuniam, qva redimi possit, nullam potentiam humanam, qva restitui possit, nullam deniqve artem vel medicinam, qva macula ex impuritate semel concepta elui possit ; ast hic saepius illam violari, atqve amitti. Cum enim oculi multa indigna videant, aures talia audiunt, qvæ sine prava animi commotione vix sentiri & intelligi etiam à gravi & sancto homine possint : non posse fieri, qvin teneræ mentes libidinum stimulis concitentur hisqve blandis illecebris à virtutis cursu ad voluptates & impuritatem abripiantur. Lascivas picturas ab oculis adolescentium amovendas esse omnes graves viros censere, non modo, qvi Christiani sint, sed ipsum etiam Propertium, paganum Poëtam, in cæteris non castissimum, pictores obscenarum rerum reprehendisse,  
qvod

qvod arte intempestiva effecerint, ut latius impudicitia diffunderetur: quanto igitur magis hos ludos, qui & oculos & aures ierdant, qui tam alte in animum penetrant, ut aut nunquam, aut ægerime inde auferri possint, ab illorum aspectu esse tollendos & removendos. Provocant denique ad testimonium gravissimorum virorum, qui passim de corruptelis Scenicis sunt conquesti: ut Cypriani, qui secunda epistola adulterium, inquit, dum videtur, dicitur, & quæ pudica fortasse ad spectaculum processerat, de spectaculo revertitur impudicatio: ut Salviani Massiliensis scribentis: Qui forte ad spectaculum pueri venerant, de theatro adulteri revertuntur: ut aliorum quamplurimorum, qui magnō numero commemorari possent. Hisce vero, & multo pluribus, quæ hic a me dici deberent, recensendis ideo in praesenti superfldeo, quoniam in Actu Oratorio, cui hæc præmisisti, à discipulis meis in illo dicturis cum hujus, tum diversi etiam generis quam plurima alia in medium afferentur.

Scilicet cum ille, qui postremo loco verba faciet, haud ita pridem abitum mihi suum denuntiaret, simulque se publice valedicere velle significaret, tantum absuit, ut honesto illius conatu ob sistet, ut potius promto & libenti animo illi gratificandum putarem. Ne autem solus dicere necesse haberet, cæteris duobus svasor & hortator extiti, ut illi sese in hoc exercitio jungerent, & quicquid dicendo valerent, simul periclitarentur. In eligendo autem, de quo dicerent, arguento, hoc maxime ipsis, qvod de *Ludis Scenicis* agit, fuit probatum. De illo igitur sequenti modo & ordine verba sunt facturi:

Primus, LEONHARD FRIDERICH REHSE hosce ludos approbat atque in Republica Christiana liceit & libere exhiberi posse contendet.

Secundus, FRIDERICH ANTON KRAUT eos improbabit atque ex ea exterminari debere docebit.

Tertius, JOACHIM HARTWICH MULLER judicium suum interponet, adhibitisq; quæ hic adhiberi solent, distinctionibus controversiam eorum componet. Quo facto carmine Teutonico illis, quorum; quoad hic vixit, beneficia in se est expertus, debitam agit gratias memoriamq; sui commendabit.

A vobis, *Patroni, Fautores atque Amici*, demisse humanissimeq; petimus atque contendimus, ne vestra benevolentia nos indignos habeatis, sed si per negotia vestra vobis erit licitum, Musas nostras præsentia vestra splendore collustretis. Si quam prompti quamque frequentes ad hujusmodi ludos spectandos advolare mortales solent: tam promtus vos ac tam frequentes ad audiendas has de illis compostas orationes præbebitis, nullam in vobis alacritatem, nullam frequentiam requiremus, desiderabimus.

00 A 6277



TA-OL

Retro ✓





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

ax 33

Q. D. B. V.  
**PROGRAMMA,**  
*Omnes hujus civitatis Lunæburgensis*  
**VIROS HONORATISSIMOS,**  
 DOMINOS  
**PATRONOS, FAUTORES**  
*atque AMICOS,*  
 Ad  
**ACTUM ORATORIO. VALEDICTORIUM,**

In quo  
 Tres juvenes atque adolescentes pii, industrii & modesti,  
*qvorum nomina hic sunt adscripta,*  
 nempe  
 LEONHARD FRIDERICH REHSE, Lunæb.  
 JOACHIM HARTWICH MÜLLER, Lüdersburgo - Lauenb.  
 FRIDERICH ANTON KRAUT, Lunæb.

Die III. Martii statis horis  
 De  
**LUDIS SCENICIS**  
 dicent,  
*Es, qua decet observantia atq. humanitate, invitat*  
 Paulus Kraut, Scholæ ad Div. Joh. Rector.  
 Anno MDCC XIX.

LUNÆBURGI, Typis STERNIANIS.